LUDOVICI TROSSII

OBSERVATIONUM CRITICARUM

IN

SCRIPTORES NONNULLOS LATINOS

LIBELLUS PRIOR.

HAMMONE, MDCCCXXVIII,

SUMPTIBUS AUCTORIS.

VIRO DOCTISSIMO

SIBIQUE AMICISSIMO,

GERARDO KERLENIO,

PHIL. DR. ET AA. LL. MAG. GYMNAS. HAMMONENS.

COLLEGAE,

LIBELLUM HUNC

AMICITIAE MONUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

L. TROSSIUS.

Aequo et erudito Lectori S.

Dato nuper mihi munere scriptionis edendae, qua omnes, quorum interesset, ad solemnia examinis publici, in Gymnasio nostro habendi, invitarentur, hasce qualescunque observationes criticas ex adversariis meis decerptas et novis curis pertractatas typothetae tradidi. In eiusmodi autem scriptis quum usu venire soleat, ut mox evanescant, quippe quorum plurima intra parietes tantum scholasticos contineantur, CL exemplaria, additis tamen integris aliquot capitibus, hac forma excudi iussi, quae in tabernis librariis divendenda prostarent. Quodsi hoc meum consilium VV. DD. haud plane displicuisse in-

tellexero, alter mox sequetur observationum libellus paulo uberior, in quo praeter meos conatus I. H. Withofii notas in Phaedrum ineditas et I. G. Huschkii in Tibullum curas secundas ex ipsis, quae servo, eorum autographis propositurus sum.

Iam vero, ne in alienas messes falcem immittere velle videar, benevolum lectorem monitum velim, in eandem, quam ego incidi coniecturam ad Calpurn. VI, 30, Withofium iam incidisse idque serius me, quam ut suo statim loco potuissem indicare, deprehendisse, quod quam facile eveniat, et ipse saepissime expertus sum, et norunt omnes, qui in emendandis antiquitatis scriptoribus versantur. Ceterum, praefandi finem facturus, quod consilium edendi Ammianum Marcellinum, denuo recensitum, pluribus in hoc libello professus sum, id omnibus iterum atque iterum commendo.

Dabam Hammone, in comitatu Guestphaliae Marcano, Prid. Kal. Oct. MDCCCXXVIII.

Caput I.

Taciti locus corruptus restituitur et accuratius explanatur.

Aureus ille C. C. Taciti de Germania libellus tam saepe proximis his annis typis vulgatus est, tamque multi VV. DD. in eo insudarunt et emendando et declarando, ut, qui novas emendationes et explicationes prolaturi sint, actum agere videri possint. Neque tamen res ita se habet, quinimmo plurima supersunt, quae diligentius tractari mereantur luceque adhuc egeant, cuius rei insigne exemplum locus praebet, de quo nonnulla iam dicturus sum.

Cap. V. »Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda; humi-

dior, qua Gallias; ventosior, qua Noricum et Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum *arborum impatiens*," cet.

Ita constanter omnes editi, nec ulli hucusque, quod quidem sciam, corruptelae suspicionem esse subortam, mirari licet. Est enim locus, nisi diligentissimum scriptorem in hoc ipso libello aliquoties misere sibi repugnare velis, corruptissimus, levi tamen medicina sanabilis, quam ei adhibuisse me optimam, futurum esse ut quivis videat, spero. Reponendum enim sine ulla-dubitatione: „*Satis ferax, frugiferarum arborum patiens;*" corruptela ex ultima praecedentis vocabuli syllaba orta. Eiusmodi errores in codicibus et manu exaratis et impressis quam saepissime inveniri, exempla docent, quorum nonnulla ex ipso Nostro adferam. Ita *Historiar.* II, 85, pro *Aquileiam progressae* perperam plurimi *Aquileiam iam progr.* exhibent; *Histor.* III, 19 *coloniam plano sitam,* ubi alii „*coloniam in plano s.*"; III, 59, *Nives eluctantibus,* ubi alii „*nive se eluctantibus*"; quibus addi potest sphalma ed. *Oberlin.* Annal. VI, 48, ubi vitiose *flagitiorum patiens* excusum est pro eo, quod alii omnes, et recte quidem, *flagitiorum impatiens*, ex-

hibent. Ita etiam codex meus *Boethii* antiquissimus, septingentorum quippe et amplius annorum, aliquoties aberrat v. c. lib. I, pros. IV, *praesentem tamen sententiam confessum*, cod. *praesentem me tamen;* lib. III, pros. IV, *unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem strumam appellat*, cod. *strumam tamen appellat;* lib. III, pros. XI, *interiore semper sede continetur*, cod. *in interiore*, cet. Plura exempla suppeditabunt *Cic. Tusc.* II, 4, init., III, 27, IV, 31; V, 4, fin., ed. *Wolf;* Sueton. Caes. IV, p. 9; Octavian. XXVIII, p. 205; c. XLIV, p. 241; Cap. LXIV, p. 265; LXVI, p. 273; C. LXXIX, p. 300; C. LXXXI, p. 302, ed. *Oudendorp*, et Cæsar B. G. I, X init. p. 19. *Oudend.*, quibus add. quae *Ruhnkenius* congessit ad. *Vell. Pat.* II, XXV, p. 152. Eodem etiam errore peccatum est in Ammian. Marcellin. XVII, 13, 10, ubi omnes fere edd. *terga fugientium incidebat* exhibent, refragantibus optimis libris Mss., in quibus, quod unice probandum, *caedebat* occurrit.

Iam, praemissis, quibus coniectura mea stabilitur, exemplis, alias quoque rationes paulo uberius exponam, quae eam, mea quidem sententia, necessario videntur requirere.

Capite *decimo*, ubi de sortium apud Germanos consuetudine loquitur, *virgam frugiferae arbori*

decisam in surculos amputari eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargi, narrat. At vero, si Germaniam frugiferarum arborum *impatientem* dixeris, unde tandem h. l. *frugifera arbor?* Quam difficultatem Exterus sentiens de fago exponit, glandifera arbore; nec vero, quamvis aliquam veritatis speciem prae se ferat, germanicam vocem *Buchstaben* originem inde traxisse putans, si rem accuratius consideraveris, audiendus erit. Germaniam enim frugiferarum arborum patientem fuisse, ex ipso Nostro discere licet.

Porro capite XXIII Germanorum cibos simplices fuisse dicit, *poma agrestia,* recentem feram, lac concretum. Haec quominus de *malis, piris,* cet. accipiantur, nihil obstat, immo vero ita potissimum accipienda esse, res ipsa docet. Neque enim, si fraga aliasque id genus baccas unice intelligi voluisset, eas inter potissimos, quibus vitam sustentabant, cibos enumerasset. *Poma* enim *agrestia* i. e. mala, pira cet. (haud quidem illa diligentiori cultu et arte mitigata ac nobilitata, qualia Romani in pomariis habere consueverant, sed *agrestia* et quibus aut nulla plane aut minor tantum cura impenderetur proferendis), in varios

condi possunt usus, dum baccae illae minorem tantum aestatis partem durant.

Nec tamen, quum *pomum* etiam *baccas* tum arborum tum fruticum significet, si quis alteram h. l., quam et Hessius protulit, interpretationem, cum mea coniunctam, praeferre et praeter poma, pira cet. etiam baccas illas subaudire malit, repugnabo, quin potius Venantii Fortunati locum adscribam, quo probari potest, lib. XI, c. XVIII:

Transmissas epulas, quae pruna nigella vocantur.
Ne, rogo, despicias, quae mihi silva dedit;
Si modo digneris silvestria sumere poma,
Unde placere queam det meliora Deus.
Hoc quoque non metuens, quod ramo umbrante pependit,
Non tellus fungos, sed dedit arbor opes.

Ammianus Marcellinus XIV, 4, 6, de Saracenis: „*Victus universis caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, et herbae multiplices,*" cet., quo loco *herbae multiplices* simili modo usurpatae videri possunt, ac h. l. *agrestia poma*.

Iam autem alium locum adferam, qui emendationem a me prolatam unice confirmat. Capite enim XXVI Germanorum ignaviam incusat, ut pote

qui *„cum ubertate et amplitutidine soli laborare non contendant, ut* p o m a r i a *conserant, prata separent, hortos rigent.“* — Qui enim Tacitus vitio maioribus nostris vertere possit, quod *pomaria* non conserant, si terra *frugiferarum arborum impatiens* est? Itaque aut recte me locum emendasse, aut inconsiderate ipsum Tacitum sibi repugnare, statuendum erit. Nam quod in fine capitis XXVI *auctumni perinde nomen ac* b o n a *ignorari* dicat, id ad uvas pomaque arte nobilitata refero.

Iam igitur huius, quem emendare tentavi, loci, si cum aliis, quos attuli, locis conferamus, ea est sententia, ut patriam nostram arbores quidem olim frugiferas tulisse, earum autem diligentiorem culturam et cum arte coniunctam fuisse aut incognitam plane, aut neglectam, statuendum sit.

Caeterum, antequam ad alia pergam, locum, cui emendatione mea subvenire studui, a prava, ut quidem mihi videtur, interpretatione vindicare contendam. Verba scilicet *„satis ferax“* praeeunte *Passovio*, V. Cl., vel potius *Pichena*, ut ex Gronoviana editione videre licet, perperam plerumque accipiuntur. Nam *satis* nullo modo est ablativus, sed particula, cuius in augenda vel minuenda vi adjectivorum usus notus est. Haud

enim facile Tacitus *satum* pro *segete* dixerit, quum nullum huiusmodi in eius scriptis occurrat exemplum, semperque *segetis* vocabulum usurpet, v. c. *Germ.* C. XXVI, *sola terrae seges imperatur; Histor. V.* 7, *foetus segetum*, cet.; neque ablativi h. l. usus sermoni Taciteo convenit, praesertim quum alias *ferax* cum Genitivo jungere consueverit, v. c. Annal. IV, 12: „*Apud Germanos*, — — *quis ingentium belluarum feraces saltus.*“

Iam autem haec explicatio, una cum emendatione a me proposita, si admittatur, *satis ferax* et *frugiferarum arborum patiens*, quam egregie sibi respondeant, non est, quod fusius ostendam.

Caput II.

Proferuntur emendationes in fragmenta orationum Symmachi a Maio reperta, et Curtii locus obiter tentatur.

Symmachi orationes a Maio repertas eo nuper aliquoties perlegi consilio, ut Ammiano meo consulerem eique lucis aliquid, si fieri posset, affunderem. Qua in lectione nonnullae mihi subortae sunt coniecturae, quas chartae mandare volui, publiceque VV. DD. examini subiicere. Sunt autem hae fere:

Laud. in Valent. I. A. 5 (p. 7 ed. Niebuhr): »Nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti: iam dudum cuncta expertus in fratre, quae

»diu explorantur in Caesarem. *Dubitaretur* de iudicio tuo, nisi ab immodicis inchoasses.«

Legendum sine dubitatione: „*in Caesare. Nam dubitaretur*" cet. „*In Caesare*" iam Heindorfius coniecerat, nec vero viderat, quo *m* litera, ut videbatur, superflua, ducit, *nam* esse addendum. Ita etiam *Maius* in Cic. de Rep. II, XVI, fin., ubi cod. Vat. „*adversante fortunam*" exhibet, rectissime annotavit, scribi etiam posse „*adversante fortuna. Nam mortuo rege,* cet.", quam coniecturam cur non praetulerit, causam equidem video nullam.

Laud. in Valent. Aug. II, 2, p. 16.

»Nihil *ante* prioribus gestis, Auguste, decerpimus. Si recentia sola repetamus, stupeo.«

Legendum crediderat Heindorfius „*a te*". At vero si literarum ductus sequi velis, multo lenius aptiusque mecum „*nihil autem*" emendare haud dubitaveris. Simili ratione *aut* et *an* confusa reperi ap. *Incerti Paneg.* Constantino d. C. II, ed. Arntzen. T. II, p. 472, et ap. *Mamert. Grat.* act. Iulian. C. XXIV, p. 744.

In iis etiam, quae mox sequuntur, gravis obtinet error. Expressum est in edd.:

> »Non fluminum meatibus, non obiectu montium, non itinerum *errore* tardabitur.«

Legendum omnino, quod et sensus flagitat: „*non itinerum horrore tardabitur.*" Verissimam esse emendationem ex subsequentibus patet; quae enim simpliciter h. l. enuntiavit orator, ea iam fusius explicat. Verba: „*omnis adversum barbaros — navigare,*" *fluminum meatibus*, „*nec arduis — Alamannia,*" *montium obiectui*, atque: „*verum est — — inhospita regio*" *itinerum horrori* quam optime convenire, quis non statim videt? Sic et in *laud Val. I.* p. 5 *errores* codicem praebere conspicimus, quod in *horrores* iam Maius rectissime mutavit. Favet etiam huic meae emendationi Symmachus ipse, l. c. p. 10 ubi: „*caelo et terris horror aequalis est*". Eadem horum verborum confusio occurrit ap. *Ammian. Marcellin.* XXIX, 5, 49.

Frequentissima eorum vocabulorum solet esse depravatio, quae *h* litera incipiunt, qualis h. l. est *error* et *horror*. Haec enim aspiratio in anti-

quis codd. plerumque omittitur, qua eadem omissa eleganti ceteroquin CURTII loco error inesse videtur. Haec apud eum verba occurrunt, lib. IV, c. 4 (p. 47 ed. Zumpt): „*utinam eodem animo regnum pati possim! Hae manus suffecere desiderio meo; nihil habenti, nihil defuit.*“ Legendum puto, quamquam et vulgata lectio ferri, imo aliis praeferenda videri possit: „*nihil aventi nihil defuit*“ loco *habenti*, quam mutationem requirunt praecedentia verba „*hae manus suffecere desiderio meo.*“ Saepissime *habere* et *avere* vel *havere* confunduntur. Vid. *Cuiac* ad. Iul. Paul. sent. Tit. IV, lib. III, §. 7; *Gesner* ad Scriptt. R.R. T. I, p. 899 (Ed. II) et *Cortte* ad Salust. Cat. XXXV, fin. — Literas quoque *v* et *b* et in aliis verbis adeo promiscue in antiqq. codd. reperimus adhibitas, ut unum idemque sonuisse credendum sit; reque vera *Apuleius* min. de not. asp. et de diphtong., p. 116 ed. Osann., multorum esse morem narrat, „*b pro v consonante et v bro b ponere*“, quod in lapidibus etiam inscriptis saepissime videre licet *). Codices Mss. quo sunt vetustiores, eo frequentior harum literarum est permutatio. Sic v. c. in *Symmachi* codice palimpsesto *novilis* scriptum est

*) Vid. ind. gramm. in Gruteri Corp. inscr. lit. B et V.

pro *nobilis* *). *Front.* laud. fum. (p. 254) *existimavis* pro *existimabis.* Ita etiam in cod. *Apicii* antiquissimo, iisdem fere literis, quibus Pandectae Florentinae, scripto, qui Romae hodie servatur et cuius varr. lect. Almelovenius repetitae Listeri editioni adiunxit, Lib. I, C. 6, *alvorem* pro *alborem;* Cap. 11 *lebantur* pro *levantur;* Cap. 12 *laba* pro *lava;* Lib. II, C. 2 *survendum* pro *sorbendum;* Lib. IV, C. 5 *vulbos* pro *bulbos;* Lib. VI, C. 2 *savano* pro *sabano;* Cap. 9 *alvamentis* pro *albamentis;* Lib. VII, C. 7 *vaccas* pro *baccas;* C. 12 *bulvos* pro *bulbos*, cet., cuius generis sexcenta, si res posceret, afferi possent exempla. Quam multis id corruptelis ansam praebuerit, facile coniici potest. Sed redeamus ad Symmachum.

Ibid. p. 19:

»Succedit scaena murorum tantum ex ea parte declivis, qua margines turrium fluenta *perstringunt.*«

Legendum *praestringunt.* Rectius enim, puto, dicitur *flumen turres praestringere*, quam *turribus perstringi*, quo etiam modo h. l. posset accipi.

---

*) V. Spec. II huius cod. (ed. Francof.) extr. Coll. *Gronov.* Obss. IV, XIV, p. 693 ed. Platn.

Ita Ammian. Marcell. XXV, X, 5, *sed ad perpetuandam gloriam recte factorum praeterlambere Tiberis intersecans urbem aeternam, divorumque veterum monumenta praestringens.* Idem XIV, II, 15. *Calicadni fluminis ponte, cuius undarum magnitudo murorum adluit turres.* — Solemnis is fere error, cuius exempla in Panegyricorum editione Arntzeniana passim obvia habes. Caeterum ad *scena murorum* cf. Ausonii Mosell., vs. 196, ubi locis allatis hic addendus est.

Ibid. p. 21:

»Ita conspicuam moenium dignitatem vario interpretantur affectu, ut *adhuc diu iudicare* non possint, utrum eam mirari magis debeant, an vereri.«

Emendavit Heindorfius ad *hunc diem,* parum probabiliter, quamvis plano sensu. Restituas potius, quod codicis lectioni propius accedit: *„ut adhuc diiudicare non possint,“* quae mea coniectura ampliori commendatione non eget. Ita plane *Velleius Paterculus* II, 90: *„illa tot consulares, illa tot praetorios absumpsit duces, patrumque aetate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium*

diiudicari non potuerit, Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris.« Cf. Caes. B. G. V, 44, extr.

Laud. in Grat., V, p. 33.

»Quis mihi Zeuxidis *coloriis ceris* haec comitia spectanda digereret.«

Ita Maius locum edidit, contra codicis auctoritatem, in quo *coloribus* scriptum videri ipse testatur; Heindorfius *coloribus sinceris* coniecit. Utrumque autem reiiciendum, et amplectenda codicis lectio *coloribus ceris. Ceris digerere* nihil aliud significare statuo, nisi aut simpliciter *pingere,* aut *ceris pingere*, ut Plinius loquitur, H. N. XXXV, XI, p. 595 ed. Gronov., i. e. opere encaustico, quod ego malim. Quod si igitur verba *coloribus* et *ceris*, prout diiungenda sunt, recte diiungas, emendatione haud opus erit.

Caput III.

In Ammianum Marcellinum coniecturae nonnullae, item in Suetonii locum depravatum, proponuntur.

Ammiano Marcellino, gravissimo historico, post Valesios Gronoviosque neminem ea, qua par est, diligentia, manus admovisse medicas, est quod doleamus, quippe cuius scripta, omni ceteroquin cura dignissima, adeo depravata ad nos pervenere, atque tot adhuc tantisque naevis et cicatricibus obsita sunt, ut innumeris fere locis sensum commodum neque erui neque intrudi posse, qui scripta eius legerit, facile largiatur. Neque defuere tamen omnino viri docti, qui suam huic scriptori curam dicassent, quorum principes Ernestum et Wagnerum nominasse sufficiat. Eorum quidem opera

textus, quem vocant, intellectum faciliorem multo redditum esse, lubenter agnosco, neque tantorum virorum meritis aliquid detrahere cupio; at vero haud pari eos successu in auctoris verbis ad criticam rationem constituendis et emendandis esse versatos, nemo, puto, inficias ibit. Hinc est, quod iam per quindecim annos subsidia conquisierim ad novam eius recensionem, quam Deo iuvante atque otium et vires ministrante proximo fere quinquennio publici iuris facere mecum constitui. Cuius consilii cum Viris Doctis communicandi quum optima iam se mihi praebuerit occasio, omnes ubique, quorum interest, has literas promoveri, praesertim bibliothecarum praefectos enixe rogatos velim, ut quaecumque aut servent ipsi aut alicubi servari sciant subsidia, codices mss., varias lectiones e codicibus enotatas, notas et coniecturas VV. DD. ineditas, meis usibus benigne concedere aut saltem, qua mihi via quibusve conditionibus eorum usus permitti possit, indicare dignentur, ut tandem aliquando eo habitu Ammianus foras prodire queat, quo dignus est. Interim in eum coniecturas aliquot meas, ut solis coniecturis libellus hic scholasticus contineatur, publico examini sistam, haud eas quidem palmarias, quas a me nemo exspectabit, sed e quibus

appareat, haud mediocrem cum eo familiaritatem me iam contraxisse.

Lib. XIV, VI, 19.

»*Exspectantes* crebris agitationibus, maximeque sinistra, ut longiores fimbriae tunicaeque perspicue luceant, varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformium.«

Valesius pro *exspectantes*, quum codices *expectantes* exhibeant, *expandentes eas* commode legi posse putavit, assentiente Wagnero. Pronomen vero abesse posse ne moneam, multo verius et planius locum emendasse mihi videor, legendo: *exsertantes*. Ita etiam apud Quintilian. Decl. 1, c. 10, p. 27 Burm. alii codices *exercitata* alii *expectata* exhibent, quod Arntzenius rectissime in *exserta*, loco Sedulii I, 311 (312) adducto, voluit mutari, in nott. ad Panegg. vett. T. I, p. 177.

Ibd. IX, 1.

»Qui metu sui discriminis anxius, cum accusatores quaesitoresque . . . . . . cerneret emergentes . . . . occultis Constantium literis edocebat,

implorans subsidia, quorum metu tumor *notissimus* Caesaris exhalaret.«

Quamquam omnes. edd. concinant, tamen puto legendum esse: *tumor novissimus. Novus* et *notus* saepissime a librariis mutabantur, v. c. ap. Eumen. Paneg. Constant. dict. C. XIII, p. 278 ed. Arntzen., et sic plane Noster supr. c. 1, §. 9: „*Novo denique et pernicioso exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium grave*", cet. Similiter etiam L. XIV, VII, 14: *Montius nos, tumore inusitato quodam et novo, ut rebelles . . . . . . incusat.* Iam etiam verbum *exhalaret* coniecturam meam firmare puto. Non enim, si *notissimus* fuisset tumor, i. e. per longa iam tempora notus adeoque inveteratus, tam facile fuerat exhalaturus, quod de *novissimo*, i. e. recens oborto, facilius poterat sperari. — Caeterum in iis, quae mox sequuntur (§. 3.), pro *iam quae essent agenda praedoctis,* mallem *clam — praedoctis,* quum particulae *iam* significatio verbo *praedoctis* inhaereat. Sic et supra, §. 1, „*quae clam palamve agitabantur*, ubi pro *quae clam* vetustiores edd. *quaedam* vitiose exhibent.

Lib. XV, III, 5.

»Mercurius somniorum adpellatus comes, quod, ut clam mordax canis,

interno *vitio submissus*, agitans caudam, epulis coetibusque se crebris *inserens*, si per quietem, ubi fusius natura vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id . . . . . . coloratum in peius . . . . . . imperatoris auribus infundebat.«

Loco corrupto iam olim subvenire studui. Vid. Athenaeum, edentt. Guenth. et Wachsmuth. Halis, 1818, vol. III, fasc. 1, p. 33. Nec vero mihi ipsi satisfeci. Iam igitur nunc lenius adhibuerim remedium, legendo: *ut clam mordax canis*, *interno vitio, submissius agitans caudam* cet. *Interno vitio* pro ablativo absoluto sumendum est, qualis saepius apud Nostrum invenitur, et cum Wagnero exponendum, „quamvis intus malignitatem alat". Caeterum pro *inserens* legendum esse coniicio *ingerens*, i. e. convivam se obtrudens, quod clarius eum omni modo, ut ad convivia vocaretur, adhibitis blandimentis, (prout maligni canes, submissius agitando caudam, blandiri solent), elaborasse significat, quam omnium codd. et edd. lectio *inserens*, et firmatur loco Lib. XXX, I, 19 plane gemino: *modo ipse sese eius conviviis ingerens ad ultimum composita fraude ad prandium*

verecundius invitavit. — Pro eo, quod §. 8 sequitur, *coalita pravitate famosum*, quum codex unus *collita* exhibeat, olim conieceram *callida pravitate*, ut XXVI, VI, 5 *callida fraude;* nec vero *coalita* abiiciendum nunc puto, quippe quo vocabulo libentissime utatur Ammianus, v. c. Lib. XIV, V, 7 et X, 4; XVI, VII, 6 et X, 13; XXI, V, 2 et XII, 22; XXV, IV, 1.

Lib. XVI, I, 1.

»Haec per orbem Romanum fatorum ordine contexto versante, Caesar apud Viennam .... pugnarum fragores caedesque barbaricas somniabat, colligere provinciae fragmenta iam parans, *si adfuisset flatu tandem secundo.*«

Negat Wagnerus ex verbis *si adfuisset* cet. sensum commodum eruere se posse, atque adeo „*fortuna*“ librariorum incuria excidisse coniicit ex gemino loco XIX, VI, 6. *adspiravit auram quandam salutis fortuna.* At vero diligentius hunc locum consideranti mihi clara sunt omnia. Nam *si*, ut apud optimos quosque Latii auctores, pro *siquidem, quandoquidem* usurpatum est, cuius significa-

tionis exempla qui desiderat, Forcellinum adeat; imo vero, eadem sententia, *si — tandem* coniungere possumus. Sensum inde habemus hunc perquam commodum: „Iam Caesar pugnarum fragores caedesque barbaricas somniabat et provinciarum fragmenta animo iam colligebat, quoniam quidem primus eius in Galliam adventus felix faustusque fuerat, ut prospere sibi omnia cessura inde sperare posset.“ Neque aliter locum declarari posse, qui lib. XV, VIII, §. 21 contulerit, facile quivis concedet. Ita enim ibi de Iuliano: „*Cumque Viennam venisset, ingredientem* optatum *quidem et impetrabilem honorifice susceptura omnis aetas concurrebat et dignitas, proculque visum plebs universa cum vicinitate finitima, imperatorem clementem adpellans et faustum, praevia consonis laudibus celebrabat, avidius pompam regiam in principe legitimo cernens; communiumque remedium aerumnarum in eius locabat adventu, salutarem quemdam genium adfulsisse conclamatis negotiis arbitrata.*“

Lib. XVI, VIII, 13.

»Infinita cupiditate divitiarum arserunt, sine *iustitiae* distinctione vel *recti*, inter ordinarios iudices Rufinus primus« cet.

Malim equidem, quamquam et hoc ferri potest, *sine iusti distinctione vel recti.* Ita XXII, III, 4, *iustorum iniustorumque distinctores;* XXX, V, 5, *absque iustorum iniustorumque discretione,* et praesertim XXVII, VIII, 10, *Civilem nomine recturum Britannias pro praefectis ad se poposcerat mitti, virum acrioris ingenii, sed iusti tenacem et recti.* Qui error, unde originem duxerit, si sequentis vocabuli primam syllabam respiciamus, haud ambigemus. —

Ibid. XVI, X, 8.

»Et incedebat hincinde ordo geminus *armatorum,* clypeatus atque cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus.«

Quamvis libri nihil varient, legendum tamen puto „*ordo geminus armaturarum*" Armaturae enim erant in comitatu Constantii, Cf. Vales. ad XIV, XI, 21 et XV, V, 33. — In iis, quae mox sequuntur, §. 12, „*per omne tempus imperii nec in consessum vehiculi quemquam suscepit, nec in trabea socium privatum adscivit*", egregie sibi repugnare videtur Noster. Nam lib. XV, VIII, 17 Julianus *susceptus ad consessum vehiculi receptusque in regiam*

hunc versum ex homerico carmine (Il. V, 83.) *susurrasse dicitur:*

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Forsitan autem, quum ceteroquin res gestas diligentissime narret, pron. *quemquam* ad *privatum* referendum est, quod, quamvis duriusculum sit, in Ammiano ferri posse non nego.

Ibid. XII, 25.

»Doctusque graeca quaedam arcana, hunc filium suum Agenarichum *genitali* vocabulo dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen.«

Genitali vocabulo licet cum Wagnero interpretari possis: „nomine, quod infanti inditum erat, quod a natali suo habuerat", tamen ego *gentili vocabulo* legendum coniicio. Gentilia enim erant Alamannorum nomina, quae in *ich* exibant, ut in ipso hoc loco *Mederich*; ita pater *gentile* filii sui nomen cum peregrino mutaverat. Cf. lib. XXXI, VII, 11: „*Et romani quidem voce undique Martia concinentes, a minore solita ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant.*" — Caeterum lectio *territoria* §. 59 omnino in Textum a Wagnero admittenda erat;

non enim est Ernesti coniectura, sed in omnibus, quas quidem novi, edd. vetust. iam conspicitur, neque *tentoria* aliud esse puto, nisi σφάλμα ed. Vales., unde in recentiores emanavit. Sed Wagnerum nimis fuisse timidum multis locis videre licet. Ita lib. XIV, VII, 2, optimam, quam proposuit ipse coniecturam, *celerari* pro *celebrari*, quod loquendi, quem Ammianus sequitur, usui repugnat, recipere potuisset, loco adiutus eiusdem libri c. IX, §. 7: *celerari speciem perurgebant.* Neque desunt plurima exempla, quibus has voces a librariis saepissime mutari videamus, quorum, ne longior sim, unum tantum ex ipso nostro adferam, Lib. XV, V, 20, ubi vetustiores pro *celeranda profectione* itidem *celebranda* exhibent. Ita quoque Lib. XXI, XIII, 6, *cursu celeri* reponendum est, pro *celebri*, quod nil nisi aberratio est ed. Vales., frustra obloquente Wagnero, quamvis *celebrari* celeritatis significatione etiam reperiri probe sciam; nusquam autem apud Nostrum inveniri adfirmare possum.

Lib. XVII, I, 4.

»Quibus clara fide compertis Caesar prima noctis quiete navigiis modicis et velocibus octingentos imposuit milites, *ea re*, *ut vi ingenti* sur-

sum versum decurso egressi, quidquid invenire potuerint, ferro violarent et flammis.«

Ita Valesius verba constituit, quum omnes codices antiquiores et manuscripti et impressi pro *ea re, ut vi ingenti,* „*eorum viginti*" exhibeant. Haud quidem adeo infeliciter ita Valesius; nam *ea re* hoc ipso significatu saepius apud Nostrum occurrit, v. c. XVII, VIII, 9, et XIX, II, 10. Nec tamen omnino eam probare possum, quum nunquam *ea re ut,* sed *ea re quod* ab eo usurpatum videamus, et numerum in antiqua lectione latere in aperto sit. Itaque codicum Mss. et edd. vestigiis insistens ita equidem locum constituerim: „*octingentos imposuit milites, quorum sexcenti* (reliquis scilicet ducentis ad tutanda navigia relictis) *sursum versum decurso* (Rheno amne) *quidquid invenire potuerint, ferro violarent et flammis.*" Facilis est haec mutatio et cum literarum in codd. apicibus conveniens, quippe qui scriptum exhibere poterant „*VI centi*", unde depravatio facillime poterat oriri. Literas *g* et *c* frequentissime a scribis fuisse confusas, exempla docent. Ita Lib. XIX, VII, 7 Cod. Florent. *recere* exhibet, pro *regere,* quae lectio unice ibi probanda est,

addicente etiam cod. Tolos. in quo *retere;* quippe in codd. minutis literis, praesertim longobardicis, exaratis, *t* et *c* simillimas esse, quivis harum rerum peritus haud ignorat, qua de re cf. Iaeger ad Incerti Paneg. Constantino dict. C. XXI, p. 521 ed. Arntzen. Add. Interpp. ad Eumen. Paneg. Constantio dict. C. II, p. 245 ed. Arntz. Quod si autem durius cui videretur ad vocem *decursò* suppleri „Rheno", nae is Ammianum parum noverit. Ita plane XXIIII, II, 3, *Proinde .... cunctos transire iussit Euphraten. Quo comperto omnes evolant ex hibernis, transmissoque, ut textus docebat scriptorum, dispersi per stationes varias, adventum principis exspectabant.* Cf. XVI, XII, 6. — Similem in numero errorem ap. *Sueton.,* Ner. Claud. Caes. Cap. XII, cl. Oudendorpius feliciter sustulit, *C numero* pro *e numero* coniiciens, quem vide l. c. p. 654. —

Liceat iam, Suetonii mentione modo facta, obiter locum eius tentare, communi Eruditorum iudicio depravatum, necdum satis illustratum. Ubi enim de Caesaris in Britanniam expeditione sermo est, ita ille:

Caes. LVIII.

»Exercitum neque per insidiosa itinera duxit umquam, nisi *perspecu-*

latus locorum situs: neque in Britannium transvexit, nisi ante *per se* portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset.«

Corruptum esse hunc locum, praesertim verba *per se*, viderunt interpretes, *Caesare* ipso, B. G IV, 21 rem aliter tradente. Itaque alii alia, ut rem integram facerent, commenti sunt, quorum nihil Oudendorpio, magno illi Suetonii sospitatori, placuit, et merito quidem. Ego vero, ut locus plane sanetur omniaque cum rei gestae veritate consentiant, aliud proponam remedium, quod, quamquam duriusculum possit videri, tamen admodum est probabile. Ita scilicet censeo, verba *per se* penitus esse expungenda. Scribam enim, quum post verba „*transvexit, nisi*" aberrasset atque iterum a superiori *perspeculatus*, quod item *nisi* sequitur, incepisset, literis *persp* iam scriptis, errore animadverso, eas punctis subnotatis ut moris fuerat, delevisse statuo, alium vero deinceps scribam, re haud perspecta, quum hoc exemplum in describendo ante oculos haberet, in *per se* mutasse, unde in omnes codices, qui nunc supersunt, facile poterat emanare. Eius generis aberrationes, si a scribis vel recognitoribus animadversae fue-

rint; punctis subnotatis fuisse correctas, omnes norunt, quibus vetustorum codicum tractandorum est occasio. Sic v. c. in Boethio meo antiquissimo, quem aliquoties iam cap. I. in partes vocavi, lib. I, pros. III: „*Eodemque superstite praeceptor eius Socrates iniuste* i n i u r i a m *mortis me astante promeruit*", altera lectione *victoriam* ab eodem librario margini adscripta, qualia ex eo plura possem adducere, si res posceret. Locum Suetonii hoc modo esse persanatum, spero fore, ut quivis videat. Sed redeamus ad Ammianum.

Ibid. XIII, 4.

»Has enim terras Parthiseus irruens
obliquatis meatibus Istro miscetur.
Sed dum *solus* licentius fluit . . . .
. . . . . tutos praestat obstaculo.«

Ita omnes, sine ulla varietate. Legendum tamen puto: „*sed dum* s o l i t o *licentius fluit*", qui loquendi usus admodum familiaris est Ammiano. Cf. Lib. XIV, X, 2; XVI, II, 9; XX, V, 1, et VIII, 8; XXI, VI, 2 et XIII, 9; XXII, VII, 10; XXV, X, 3; XXVI, V, 7; XXVII, III, 3; coll. XXVII, V, 5. — Caeterum, quod in huius capitis §. 6 occurrit, *celeritate volucri migrantes*, quod-

que Wagnerus per „tumultuatim vagantes" exponit, ego potius, sensu id flagitante, ad „diviso agmine" retulerim. Ita quoque Lib. XVIII, VI, 12, Wagnerus in verbis *lapsoque per fugam domino*, mirum quantum erravit, vertens „*der Herr stürzte mit dem Pferde*", quum tamen dominum fuga evasisse significet Ammianus, a quo *labi* pro *elabi, evadere*, centies usurpatum est, v. c. Lib. XIV, VII, 20; XVI, XI, 6; XXIV, VI, 13 et 17; XXVI, III, 3; XXVII, II, 8 et X, 15; XXVIII, VI, 14; quibus locis facem praeferentibus etiam Lib. XVI, XII, 16 *nusquam labi permittente* equidem legerim, pro *elabi*. Cf. Arntzen. ad Mamertini Panegyr. Iuliano dict. C. XXVII, p. 752.

Lib. XX, VIII, 22.

»Cuius post abitum bene Iulianus cogitans et prudenter, scirique volens, quod praesenti quoque pepercisset, caritates eius cum re familiari intacta, publici cursus usu permisso, ad orientem redire *tutius* imperavit.«

Quamquam et ita locus servi potest, haud scio tamen an sit reponendum „*ad orientem redire citius, imperavit*" i. e. nulla ante quaestione instituta, ut

alii imperatores novelli plerumque factitabant, odium in adversariorum suorum domum exercentes, statim redire permisit. Ita XXI, XII, 2: *Ideoque Iovinum, magistrum equitum, venientem per Alpes, Noricosque ingressum .... redire citius imperavit.* Cf. XV, V, 6 et XXI, XIII, 3 extr.

Lib. XXI, V, 5.

> »At nunc, cum, auctoritate vestri iudicii rerumque necessitate compulsus, ad augustum elatus sum culmen, Deo vobisque fautoribus, si fortuna coeptis *adfuerit, altius* adfecto maiora.«

Mira lectio „*altius maiora*“ nec Ammiano satis digna, et cuius vix uspiam simile exemplum reperias, quum alterutrum, iudice iam Wagnero, poterat abesse. Itaque facili admodum et probabili, ut equidem reor, mutatione, et concinnitate ipsa poscente, restituo: „*si fortuna coeptis adfulserit laetius.*“ Sic sane XXVII, X, 3, *Parvo inde post intervallo inopina rei Romanae spes laetiorum affulsit.* Amat Noster ita loqui; v. c. L. XXIV, II, 22, *salutarem genium adfulsisse sibi clamitans*, quo loco *effulsisse* legendum coniicit Burmannus ad Quintil. Declam. p. 195. Frustra;

puto. Geminus etiam plane locus reperitur L. XV, VIII, 21, *salutarem quendam genium* a d f u l s i s s e *vobis conclamatis.* Ita et ap. Vellei. Paterc. II, XXI, rectissime Ruhnkenius edidit: *unde spes maior adfulsisset potentiae,* pro eo, quod in lib. vet. erat, *a f f u i s s e t,* ubi vid. Ruhnken. et Krause, et Duker ad Flor. IV, IX, p. 760. ed. II.

Ibid. XVI, 6.

»Somno contentus exiguo, cum id posceret tempus et ratio: perque spatia vitae longissima impendio castus, ut nec *mare ministro* saltem suspicione tenus posset redargui.«

Locus vitiosus, quem Lindenbrogius ita tentavit emendare: *impendio castus, ut nec* a m a r e m i n i s t r o s *saltem* cet. Parum is feliciter. Ego ita tentavi: *perque spatia vitae longissima impendio castus, ut nec* c i t e r i o r i s v i t a e m i n i s t r o *suspicione tenus posset redargui,* quod, qui omnes literarum apices in verbis *nec citerioris vitae ministro* adeo in codd. sibi esse similes, ut, si indivisim fuerint scripta, facillime potuerint corrumpi, reputaverit, haud plane improbabit. En alium Nostri locum, quem emendatione meae quam op-

time patrocinari, nemo non videt, Lib. XXV, IV, 3: *Quam labem in adulto robore iuventutis ita caute vitavit, ut ne suspicione quidem tenus libidinis ullius vel* *c i t e r i o r i s   v i t a e   m i n i s t r i s   i n c u s a r e t u r,* *ut saepe contingit.* Eodem plane sensu *citerioris vitae minister* occurrit XIV, I, 7 et XXVII, X, 4. —

Caput IV.

In Calpurnium, Gratium et Nemesianum observationes criticae, insertis aliquot in Tertulliani Apologeticum coniecturis.

Percurrenti mihi nuper Calpurnii, quae feruntur, eclogas Gratiique et Nemesiani Cynegetica, minus recte quaedam se habere quum viderentur, hasce qualescunque coniecturas, inter legendum ultro se obferentes, in adversaria mea retuli, unde iam decerptae in publicum prodeunt.

Calpurn. Ecl. VI. vs 30 — 33.

»Malueram, fateor, vel *praedam*
nactus abire,

»Cum aurum *nulla norat*, praeter *unico digito*, quem sponsus oppignerasset pronubo annulo.«

Ed. Gelen. cum codd. Lugd. I et Agobard. ita hunc locum exhibent: „*cum aurum nulla membra norant, praeter unicum digitum*" cet., unde refingendum puto: „*cum aurum nullum membrum oneraret, praeter unicum digitum*", quam mutationem sequentia verba: „*at nunc in feminis prae auro nullum leve est membrum*" necessario videntur requirere. Sermonis quoque lex, ob id quod sequitur *cum* ...... *abstinerentur*, coniunctivum h. l. postulat. Cf. Terent. Heaut. III, 1, 43:

Primum iam ancillas secum adduxit plus decem
Oneratas veste atque auro: satrapes si siet
Amator, numquam sufferre eius sumptus queat.

Plin. H. N. XXX, 1, p. 443 ed. Gronov., „*Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi; .... postea pollici proximis induere .... dein iuvit et minimo dare; Galliae Britanniaeque in medio dicuntur usae. Hic nunc solus excipitur, caeteri omnes onerantur.*" Et mox: „*Iam alii pondera eorum gestant.*" Add. Interpp. ad Iuvenal. I, 28.

Cap. XXXV, p. 98.

»Propterea igitur publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque *temerarios* honores dicant, quia verae religionis homines etiam solemnia eorum conscientia potius quam lascivia celebrant.«

Potest quidem vox *temerarios* ita explicari, ut honores, quod imperatoribus divini haud debentur, dicantur temerarii. Tamen legendum coniicio *temeratos*, quoniam omnia ea magis ostentationis causa, quam vero imperatoris amore, Romanos actitasse auctor est Tertullianus. Firmare hanc coniecturam videntur, quae praecedunt C. XXX, p. 93. „*Qui ei offero opimam et maiorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam: non grana turis unius assis, arabicae arboris lacrimas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis, mori optantis, et post omnia* inquinamenta *etiam conscientiam* spurcam: *ut mirer, cum hostiae probentur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur praecordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinantur.*“ Nam verba *grana turis* —

optantis iis, quae sequuntur, *vanis* et *mentientibus*, reliqua *temeratis honoribus* apprime respondent, ut alterum alterius accuratior sit expositio. Singula fere Capitis XXXV verba emendationi patrocinantur. Cf. Minuc. Fel. Octav. Cap. XXIX, §. 5. „*Etiam principibus et regibus non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut deis turpiter adulatio blanditur.*“

Cap. XL, p. 115,

»Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma *conantur*, oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt.«

Lego: „*et si qua illic arborum poma, cernuntur oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt,*“ i. e. si qua illic poma inveneris, poma quidem specie tenus et matura et esui apta esse videntur, re autem vera, ea si tetigeris, in cineres abeunt. Multo hoc commodiorem, quam vulgata lectio, praebet sensum, et firmatur *Taciti* verbis, quem noster, licet *mendaciorum loquasissimum* dicat, sequitur. Ita enim ille Historiar. V, 7: „*Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse, et manere*

vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herbae tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt." Firmant et *Solini* verba Cap. XXXV: „*Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum, apud quae pomum quod gignitur, habeat licet speciem maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimae cutis cohibet, quae vel levi pressa tactu fumum exhalat et fatiscit in vagum pulverem.* Cf. Tertull. de pall. Cap. II, p. 103, Tom. V, ed. Semler.

Ibid. p. 117.

»Balneis et cauponis et lupanaribus *operantibus*, aquilícia Iovi immolatis.«

Nollem Ritterus Ald. Rhen. Gangn. et alior. lectionem *operati* sprevisset, quam unice veram iudico. Caeterum ad rem cf. Anthol. epigr. latt. Lib. III, XL, p. 484, ibique Burmann. Ita Semlerus quoque paulo timidior in libell. de hab. mul. II, p. 37: „*et medicamenta ex fuco, quibus lanae colorantur, et illum ipsum nigrum pulverem, quo*

oculorum exordia producuntur" loco *lanae* Iunii lectionem, (sive coniectura est, sive codicis alicuius auctoritate nititur,) *genae* debuisset recipere, loco plane gemino id suadente, de cult. fem. IV. p. 55 Seml., „*quae cutem medicaminibus unguent, genas rubore maculant, oculos fuligine colligunt,*" quo ego loco aut *colligant* legerim aut *porrigunt* cum Rigalt. praetulerim. — Sed redeamus, unde sumus digressi.

Calpurn. Eclog. X, 18 — 20.

»Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea serta plicas, qui comptas palmite tigres
Ducis, *odorato* perfusus colla *capillo.*«

Conieceram *odoratis* — *capillis*, quod in nonnullis iam edd. antt. inveniri, postea animadverti, quam lectionem equidem vulgatae longe praetulerim, suadentibus Horatio et Ovidio, quos Calpurnius imitatus est. Ita enim ille *Odar.* III, XX, 13 — 14.

et leni recreare vento
sparsum *odoratis* *humerum* *capillis*;

hic *Fastor.* II, 309.

Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Maeonis, aurato conspicienda sinu.

Cf. id. de art. am. II, 734, Propert. III, 14, 28. Neque tamen dissimulandum est, ap. Val. Flacc. VI, 129, occurrere *odorato crine,* si quis forte et apud Nostrum singularem numerum voluerit tueri. —

Gratius, Cyneg. vs. 399 — 400.

»Quid priscas artes inventaque simplicis *anni*
Si referam? non illa metus solatia falsi
Tam longam traxere *fidem.*«

Simplicem *annum* pro aevo rudi usurpatum esse, mirum videbatur Barthio, qui quidem *aevi* suspicatur legendum, cui adsentitur Burmannus, quoniam et Scaligero et Heinsio ita placuerat, plures locos adferens, in quibus *annus* et *aevum* confunduntur. At vero, quod iam Vlitius vidit, *annus* pro *aevo* per Synecdochen positum est. Quemadmodum enim *simplices annos* apud Martial. X, XX, et *simplicem aetatem* apud Stat. Theb.

IX, 879, quos locos Burmannus excitavit, de infantibus et pueris dici videmus, ita et h. l. *simplex annus* primam illam et rudem aetatem atque generis humani quasi infantiam significat. Caeterum ad *longam fidem* cf. Stat. Theb. I, 509:

Salve prisca fides tripodum obscurique recessus,

quo tamen loco nullus dubito quin sit reponendum e cod. Sec. X, cuius penes me est fragmentum;

Salve prisca dies tripodum, cet.

quod quum imperiti librarii parum intelligerent, mutarunt in „*fides*".

Id. vs. 430.

»Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus circum *atrae* moenia silvae
Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.«

Atras dici posse *silvas* numquam quidem negabo, nec, si quis cum Iohnsonio epitheton h. l. aut ab arborum densitate aut fuligine ductum

velit, obloquar, quippe quod et apud alios poetas frequenter occurrat, neque sine causa. Attamen hoc loco multo convenientius, mea quidem sententia, legeretur:

Introrsum reditus circum a r t a e moenia silvae,

i. e. ita densae, ut homines ab introitu quasi arceat, quod quam aptum sit sequenti vocabulo *moenia* illustrando, cuivis patere arbitror, nec audiendus est Burmannus, qui pro montibus illud hoc etiam loco esse positum docuit ad Ovid. Met. IV, 640. Cf. Caesar, B. G. VII, XVIII, 3: *Illi celeriter per exploratores adventu Caesaris cognito, carros impedimentaque sua in a r t i o r e s silvas abdiderunt.* Tacit. Agric. XXXVII, *Postquam s i l v i s appropinquarunt, collecti primos sequentium, incautos et locorum ignaros circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi a r t i o r a erant . . . . iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret.* Caeterum de harum vocularum in antt. codd. confusione sat frequenti vid. Drakenb. ad Sil. Ital. VII, 280 et Heyne, obss. ad Tibull. I, II, 97.

Ib. Vs. 439 — 42.

»Et, meriti si nulla est noxia tanti,
Tot miserere animas, liceatque adtingere fontes,
Sancte, tuos, ter quisque vocant, ter pinguia libant
Tura foco, struitur ramis *felicibus* ara.«

Felices rami, exponente Vlitio, festi sunt sive sacri, nec sine causa ferri potest haec lectio. Attamen malim ego:

— — *struitur ramis s u p p l i c i b u s ara.*

i. e. ἱκτηρίοις κλάδοισιν, de quibus vid. Interpp. ad Sophocl. Oed. Tyr. vs. 3. Ita prorsus Valer. Flacc. III, 424:

Tempora tum vittis et s u p p l i c e castus oliva
Implicat;

et praesertim Claudian. Epist. ad Hadrian., vs. 41:

Hoc pro s u p p l i c i b u s r a m i s pro fronde Minervae,
Hoc carmen pro thure damus; m i s e r e r e t u o r u m.

Ita et ipse Gratius vs. 482:

Supplicibus vocanda sacris tutela Deorum.

Add. Horat. III. od., XIV, 8. — Sin autem quis vulgatam h. l. praeferre malit lectionem, ei non adversabor. Ita enim Tacit. Hist. IV, 53: *Ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis*, qui tamen locus haud parum a nostro differt, quoniam apud Tacitum de laetioribus sermo est, apud Gratium autem de ultimis mali auxiliis; quod qui reputaverit, coniecturam a me propositam haud plane improbabit.

Nemesian. Cyneg. vs. 66 — 68.

»— — — edomitas fraterno numine gentes,
Quae Rhenum Tigrimque *bibunt*, Ararisque remotum
Principium, Niliqúe *bibunt* ab origine fontem.«

Haud immerito *bibunt* bis h. l. positum offendit interpretes, nec tamen adsentior posterius mutantibus in *colunt* vel *vident*, quum potius, quod primo loco occurrit, medicina egere videatur. Poetis enim solemne est, ut Nili fontem

bibi dicant, v. c. Claudian. de Prob. et Olybr. cons. vs. 37 — 38:

— — *vel calido si quis coniunctus in axe*
Nascentem te, Nile, bibit.

et, quem alii iam excitarunt, Lucan. X, 40:

Ambissetque polos Nilumque a fonte bibisset.,

scilicet ut regionem remotissimam significent. Aliud porro pro conservanda hac lectione, quamvis innumeris fere locis alii quoque fluvii *potari*, i. e. accoli, dicantur, inde haud incommode peti potest, quod Araris principium remotum, cum Nili fonte coniunctum, verbo *bibunt* convenientius sit, quam Rhenus et Tigris, licet eandem lectionem ap. Virg. Ecl. I, 63, Aen. VII, 715 et ap. Claudian. in Eutrop. II, 251, minime sollicitaverim. Nostrum itaque locum, ut breviter rem expediam, hunc fere in modum, nec dura ea mutatione, equidem constitui malim:

Quae Rhenum Tigrimque habitant, Ararisque remotum
Principium Nilique bibunt ab origine fontem.

Burmanni quidem coniecturae, *Nilique vident ab origine fontem*, praeeunte Iohnsonio, legentis, patrocinatur Lucan. X, 191 et 295, sqq., at vero

emendatio a me prolata, in quam et Heinsium incidisse e Burmanniana editione nunc video, literarum apicibus accomodatior est multo. Eligant, utrum velint, Lectores.

Id. vs. 179 sqq.

»Mox quum iam validis insistere cruribus aetas
Passa, quater binos volvens ab origine menses,
Illaesis catulos *spectaveris* undique membris,
Tunc rursus — *cet.*«

Locus ab interpretibus quidem tentatus, non tamen sanitati restitutus est. Difficultatem Wernsdorfius bene sentiens, quum verba parum cohaereant, mirum in modum se torsit, ut nexum quemdam verborum evolveret, verbum *spectaveris* haud a *quum* pendere, sed ἀπόδοσιν prioris membri continere, adeoque pro futuro (et hoc recte quidem, quoniam *quum* temporale h. l. cum indicativo coniungitur) accipiendum esse, statuens. Quo vero iure, viderint alii. Ut autem omnia bellissime cohaereant omnisque evanescat difficultas, ita fidenter locum emendo:

Mox quum iam validis insistere cruribus aetas
Passa, quater binos volvens ab origine menses,
Illaesis catulos s p e c t a r i s *et undique membris,*
Tunc, cet.

Vlitius *spectaverit* proposuit, pro *spectaveris,* quod quum ad. *aetas* minus commode possit referri, aliam medelae viam ingressus est Burmannus, hac distinctione iuvari posse putans: „*Mox quum (iam validis* etc. *menses* etc.) *Illaesis catulos s. u. membris, Tunc.* ut, reliquis in parenthesi positis, *quum* iunxeris τῷ. *spectaveris.*“ — Ingeniosa quidem et docta est Burmanni interpretatio, nec vero emendationem meam non admittit, quam ita velim intelligi: *Mox quum aetas catulorum* (i. e. catuli ipsi) *post octavum mensem validis cruribus insistere passa erit et catulos omnibus membris illaesos conspexeris, tunc conveniet,*“ cet.

Id. vs. 186 — 188.

»Iam quum bis denos Phoebe reparaverit ortus,
Incipe non longo catulos producere cursu,
Sed parvae vallis spatio, septove novali.«

Omnino rescribendum est *seu*, pro *sed*, ut sequenti *ve* melius respondeat. *Sed* enim, unde pendeat, parum liquet; nam verbis *non longo cursu* oppositum esse nequit, quum sensus sit: „catulos paulatim cursu producas, (i. e. cursui adsuefacias) et primum quidem haud ita longo, quod aut in parva valle aut in septo novali, quippe quoniam utroque loco longius evagari non possunt, instituí convenientissimum est." — Simili quoque ratione apud Gratium vs. 362, pro

Sed tactu impositis mulcent pecuaria palmis,
Id satis, aut nigrae circum picis unguine signant,

seu tactu legendum est, praeeunte Heinsio, quem *seu factu* coniecisse ex varr. lectt. ap. Wernsdorfium videri posset, nisi ab operis peccatum esse pateret.

Id. vs. 288 — 89.

»Mox sanguis venis melior calet: ire viarum
Longa *volunt*, latumque fuga consumere campum.«

Quamvis et ita locus ferri possit sensumque praebeat haud incommodum, tamen propter *ve-*

teres, quod praecedit, *labores*, malim: *ire viarum Longa valent.* Coniecturae huic favere videtur ipse Noster, vs. 253:

Namque valent longos pratis intendere cursus.

Saepissime haec verba a librariis confunduntur, v. c. ap. Virgil. Aen. XII, 911 et Cir. 12; Tibull. III, VI, 17; Nazar. Paneg. Constantin. d. XII, 3, et Ammian. Marc. XIV, XI, 22.

Caput V.

Tibulli locus difficilis nova ratione explicatur.

In suavissimis Tibulli carminibus permultos extare locos nequaquam satis adhuc explicatos, inter omnes harum deliciarum amatores constat, de quorum uno, quoniam Huschkius nondum omnem difficultatem sustulit, monere nonnulla in animum induxi.

Lib. I, El. X, vs. 7 — 10.

»Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
»Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.

»Non arces, non vallus erat: somnumque petebat
»Securus *varias* dux gregis inter oves.«

Heynius huius loci sententia minus perspecta, coniecturas aliorum quidem refellens, ipse infeliciter prorsus, si quis umquam, *securas aries dux gregis inter oves* coniecerat. Quod quamvis ipse postea reiecisset, tamen corruptelam versus huius constare et medelae rationem esse incertam sibi persuaserat. Huschkius vulgatam tuetur, et recte quidem, nec vero satis eam illustravit. *Varias oves* dici plerumque statuitur versicolores, albas, nigras, quod lanae vitium esse habitum Broukhusius docuisse sibi visus est. Oves autem versicolores haud plane fuisse despectas ex Calpurn., Ecl. II, 36 sqq. patet, quippe qui earum procreandarum artem Idae pastori tribuat. At vero hoc sensu si accipiatur, otiosum omnino h. l. est epitheton. Parum enim, ubi de securitate publica, ex perpetua pace oriunda, sermo est, refert, utrum albae fuerint oves, an nigrae versicoloresve. Itaque, ut imago a Tibullo proposita omnibus partibus sit absoluta, vocem *varias* significare puto oves huc et illuc dispersas, circum-

vagantes, quam ei significationem, licet in lexicis frustra quaeras, inhaerere nullus dubito. Ut enim haec vox ad significandam animi inconstantiam et incertitudinem ab optimo quoque scriptore adhibetur, qua quis huc illuc fluctuat et animo quasi vagatur, ita et hanc ei inesse posse significationem nemo facile negaverit, et re vera inest. Argumento est Salust. Iug. LXXIV, p. 743 ed. Cort., ubi pro *varius incertusque agitabat* plures codd. *vagus* exhibent, ex glossemate librarii cuiusdam, quem haec illius vocis significatio haud plane fugerat; praesertim vero Ammian. Marcell. XIX, XI, 5: *quam obrem relictis laribus, post pacem et foedera petentibus attributis, ita palarentur v a r i i limitesque contra interdicta pulsarent.* Quodsi hoc mihi concedatur, quid pulchriorem securitatis publicae imaginem praestare poterit, quam pastorem inter oves, dispersas licet et circumquaque vagantes, secure dormire? — Quamvis omnes hac in re mecum esse consensuros confidam, tamen, quo clarius pateat et evidentius, ad stabiliendam sententiam meam locum adferam Calpurnii egregie huc facientem, Ecl. I, vs. 36. sqq.

Vos o praecipue nemorum gaudete coloni
Vos populi gaudete mei: licet omne v a g e t u r,

Securo custode, pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit praesepia crate:
Non tamen insidias praedator ovilibus ullas
Adferet aut laxis abiget iumenta capistris.

CAPUT VI.

Inveterata in LUCANI Pharsalia depravatio tollitur.

In Lucani Pharsalia locum nuper deprehendi quem a me impetrare non possum ut sanum iudicem. Is utrum a VV. DD. iam sit persanatus, haud rescivi, quum nulla mihi praesto sit editio critica praeter Cortianam, a Webero ad communem harum literarum utilitatem hoc ipso anno editam. Itaque quae mihi in mentem venerint ut proponere iam liceat, locum adscribam.

PHARS. I, vs. 479 sqq.

»Nec, qualem meminere, vident: maiorque, feroxque

Mentibus occurrit, victoque inmanior
hoste.
Hunc inter Rhenum populos *Alpem-*
que iacentes
Finibus arctois patriaque ab sede
revolsos
Pone sequi, iussamque feris a *gen-*
tibus urbem,
Romano spectante, rapi. sic quisque
pavendo
Dat vires famae.«

Parum liquet, quinam sint populi illi inter Rhenum Alpemque iacentes, quum de Helvetiis ipsis minus bene cogitari possit, ut pote recens a Caesare devictis, nec ullo modo, haec verba recte se habere, persuadere mihi possum. Ernestum etiam Kaestnerum, qui animadversiones in quaedam Lucani et Propertii loca anno abhinc decimo sexto Ienae edidit, ad eadem verba offendisse video ex ephem. liter. Hal. 1814, mens. Sept. p. 129, qui quidem ita legendum putat, adsentiente ipsius libelli censore:

Hunc inter Rhenum populos Calpenque *iacentes*

ut *finibus arctois* melius respondeat. Hanc autem mutationem, facilem licet et primo statim obtutu cuivis fere adblandientem, quoniam emendatio multo adhuc facilior se mihi obtulit, probare non possum, praesertim quum Hispani adversarum partium fuerint. Quinetiam si Gallos tantum voluisset significare Lucanus, alia superesset interpretandi via, qua lectio vulgata posset defendi. *Alpes* enim non solum montes Helvetiae, verum etiam alios, praesertim Pyrenaeos, significare, Oudendorpius docuit ad Iul. Obseq. prod. XLII, p. 138 ed. Kapp. At vero huiusmodi interpretationem duriorem esse aut saltem nimis quaesitam, plurimi erunt, qui mecum consentiant. Itaque vestigiis codicis antiqui insistens, *Alpimque* exhibentis, ut ex ed. a. 1658 a Schrevelio curata, videre licet, ita locum fidenter refingo:

Hunc inter Rhenum populos A l b i m q u e iacentes
Finibus arctois patriaque ab sede revolsos,
Pone sequi, cet.

Litterae illae, *b* et *p*, iam inde ab antiquissimis temporibus confundebantur, cuius rei frequentissima sunt exempla. Ita *pleps* ap. Gruter. Corp. Inscr. (Ed. Commel.) CCCLI, 1; CCCCXX, 8, 9; CCCCLXVII, 2; *apsens* Id. ibid. LXI, 1;

CCCCXXXVI, 2. Similiter etiam *oblio*; ibd. CVIII, 2; DLVIII, 7. Quam facile in vocibus *alpis* et *Albis* poterat errari, ex Strabone videre possumus, utpote qui narret, Lib. IV, Cap. VI: τὰ Ἄλπια καλεῖσθαι πρότερον Ἄλβια· καὶ γὰρ νῦν ἔτι ἐν τοῖς Ἰάποσιν ὄρος ὑψηλὸν, συνάπτον πως τῇ Ὄκρα καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, Ἄλβιον λέγεσθαι, cet. —

Ut facillima est haec emendatio, ita et certissima. Omnia iam quadrant. Romanis enim tunc temporis nullus hostis magis fuit terribilis, quam Germanorum populus, ut ex ipsius Caesaris commentariis satis patet, Lib. I, C. 39 sqq.; neque gravior unquam Romanorum animis afferri poterat nuntius, quam Caesarem appropinquare cum exercitu Germanorum, quorum ne adspectum quidem initio ipsius Caesaris milites ferebant. Et re vera Caesar quadringentos habuit equites auxiliares germanos. Cf. Caes. B. G. VII, 13, Hirt. Bell. Alex. XXIX, Flor. IV, II, 5 et 48 ubi vid. Duker.

Repugnare videtur emendationi a me propositae Priscianus, quem Cortius excitavit, lib. VII, p. 757. Is autem vitiosum iam Lucani exemplum quin ante oculos habuerit non dubito, praesertim quum et alia aliorum scriptorum loca apud eum

occurrant, in quibus genuinam similiter lectionem codices ab eo adhibiti haud amplius praebebant, cuius rei et apud alios Grammaticos innumerabilia fere reperiuntur exempla, ita ut eos vitiosissimis saepissime codd. fuisse usos, luce sit clarius. Ut autem lectoribus omne dubium eximam, Lucanum sui ipsius vindicem in partes vocabo eundemque interpretem, cui fides maxima habenda sit, optimum. Ita enim Lib. II, vs. 307, sqq.:

Devotum hostiles Decium pressere catervae:
Me geminae figant acies, me b a r b a r a *telis*
R h e n i t u r b a petat;

maxime vero vs. 47, sqq. lib. cit.

Non pacem petimus, Superi; date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: coniuret in arma
Mundus: Achaemeniis decurrant medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non adliget Ister;
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
A l b i s et indomitum R h e n i caput.

En eandem Albis et Rheni coniunctionem! qua praeter ea, quae supra monui de Romanorum formidine, ipsa coniectura egregie confirmatur. Verba etiam utriusque loci „*finibus arctois*" et „*ab extremo aquilone*" apprime sibi respondent. Add. I, 475:

— — — audaces ruere in certamina turmas
Afferat, et qua Nar Tiberino illabitur amni
Barbaricas saevi discurrere Caesaris alas.

Iam autem, omnibus consideratis, emendationis veritatem, aut saltem probabilitatem, nullum fore confido, qui prorsus neget.

Caput VII.

Itinerarium Alexandri ad. Constant. Aug., a Maio editum, aliquoties emaculatur.

Itinerarium Alexandri Constantio Augusto inscriptum, expeditionem in Persas paranti, e bibliothecae Ambrosianae, ubi hucusque latuerat, pluteis in lucem protraxit atque regiis typis Mediolani anno huius seculi XVII excudi curavit Angelus Maius, diligentissimus ille simulque felicissimus thesaurorum Ambrosianorum et Vaticanorum perscrutator. Quem librum, quod res ab Ammiano traditas ex illo posse illustrari existamarem, qua in re minime falsus sum, quum his diebus accuratius tractarem, Maium in textu constituendo et refingendo multis locis deprehendi satis negligenter

esse versatum, dum spreta saepe optima ipsius codicis lectione coniecturas, tum inutiles, tum parum probabiles, intruderet, (quas, si in notis tantum proposuisset, fas esset excusari,) saepissime etiam verba aperte depravata intacta relinqueret. Hinc factum est, ut largissima supersit errorum seges, quorum nonnullos, si tamen possum, tollere conabor.

It. Al. Cap. XVIII.

»Agmen vero ceterum et auxilia circa gentium classi vehebantur belli usibus divite, quae Amphipoli in *Strymonis litore* erat.«

Ita Maius hunc locum edidit ex coniectura, codice ms. „*in Strimone incoris*" exhibente, legi etiam posse putans „*in Strymone bicorni*"; ibi enim reapse bicornem esse Strymona. Sed si codicis vestigia sequi velis, multo facilior ultro se obfert mutatio, in quam Maium non incidisse admodum miror. Legendum enim, si quid video, *quae Amphipoli in ancoris erat,* loquendi forma optimis scriptoribus usitata. Sic plane Flor. II, 2: *Intra enim sexagesimum diem quam caesa silva fuerat, centum sexaginta navium classis in ancoris stetit.*

Caesar, B. G. IV, XXIII, 4: *Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquae naves eo convenirent, ad horam IX, in ancoris exspectavit.* Add. Hirt. Bell. Afr. LXIII, et Nep. Them. VIII extr. —

Hoc quidem loco Maius, quamvis verum eum vidisse negandum sit, non admodum est vituperandus, quoniam vitiosa codicis lectio medelam requirebat. Maiore autem audacia nec ullo modo ferenda in aliis locis pro lubitu constituendis grassatus est. Ita v. g. Cap. XCIII *Mos erat, regibus optimatium liberos ministrare*, edidit, quum potius cum codice legendum sit *ministrari*, i. e. suppeditari, tradi, quo sensu, ni proxime sequentia otiari velis, omnino accipiendum est. Ita Tac. Hist. IV, 12: *Batavi . . . . viros tantum armaque imperio ministrant.* Eiusdem audaciae aliud exemplum, ne pluribus enumerandis ineptire videar, Cap. CXVIII deprehendi. Ibi enim Maius ex coniectura ita textum refinxit. *Statim deinde Herculis Medius scyphum offert ad vina; neque is honorem Dei nomine aspernatus, poculum complet stringitque continuo;* iratis omnibus musis. Verissima est codicis lectio „*stringitque continuum,*" i. e. totum et quod a labris, nisi exhaustum, non erat remoturus, cuius significationis apud optimum

quemque obviae exempla adducere, supersedeo. Repugnare quidem videtur Curtius, L. X, IV, eandem rem ita narrans: *Iisdem fere diebus convivium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod rex quoque cum sodalibus vocatus venit. Ibi nondum Herculis scypho epoto, repente velut telo confixus ingemuit.* Sed haec nihil ad rem. Plerumque enim Itinerarii, quisquis ille est, scriptor in rerum gestarum expositione cum Diodoro Siculo convenit, et ita ille Lib. XVII, 117, p. 501, ed. Bip. iisdem fere verbis: *Τούτων δὲ πάλιν παρακελευομένων θυσίας ἐπιτέλειν τοῖς θεοῖς μεγαλοπρεπεῖς μετὰ πάσης σπουδῆς, παρεκλήθη πρός τινα τῶν φίλων Μήδιον τὸν Θετταλὸν ἐπὶ κῶμον ἐλθεῖν· κἀκεῖ πολὺν ἄκρατον ἐμφορηθεὶς, ἐπὶ τελευτῆς Ἡρακλέους μέγα ποτήριον πληρώσας ἐξέπιεν.* Testis item est Plutarchus, a Wesselingio ad h. l. citatus, qui, quamvis huic plurimorum historicorum narrationi contrarietur, iisdem de eadem re verbis utitur. — Sed pergamus ad alia.

Id. Cap. LXXX.

«Eo itinere tamen praemissos Macedonum castra metatum, improviso offusi paucis indigenae, opprimunt

obtruncantque, qui in triginta haud minus milibus Alexandro venienti obversari decreverant. Enim mox Alexandro ingruente, ad montium celsiora *concrepant.*«

Quid Maium impulerit, ut ex lectione codicis „*concrepunt*" verbum *concrepant,* hoc quidem significatu nusquam alias adhibitum, effingeret, equidem perspicere nequeo. Legendum enim omnino atque fidenter reponendum: *ad montium celsiora correpunt.* Varro, R. R. II, praef., pag. 42, a. Ald., *Igitur quod nunc intra murum fere patresfamiliae correpserunt, relictis falce et aratro, et manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus et vinetis.* Plura exempla adduci poterant, nisi res ipsa pro se loqueretur. Ita quoque simplex verbum *repere,* praesertim ubi ad altiora tendendi studium exprimitur, eandem obtinet significationem. Ammian. Marcellin. XVIII, VIII, 11: *cinctus undique antecedentibus Persis civitatem petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere, quo incessebamur, in arduo sitam, unoque adscensu perangusto meabilem.*

Id. Cap. LXXXVII.

»Suos sepelit, vastatque regiones, quas Polimetis amnis ambit aut rigat, qui progressus ulterius harenis bibitur et receptatur, facitque invia cuncta, subsidiis *colentium nullis.*«

Pro *colentium*, quod Maius edidit, quodque commode ferri potest, ipse codex *et colentium* exhibet, unde mutatione perquam leni *adcolentium* rescribendum puto, quod quam aptum sit et codici consentaneum, quivis intelliget. *Adcolere* enim de iis praesertim, qui iuxta amnes habitant, usurpari constat. Tacit. Hist. I, 51: *Nec durat pars Galliarum, quae Rhenum accolit, easdem partes secuta.* Cf. id. Annal. 1, 53; Hist. III, 47. — *Et* porro atque *ad* ubique fere a librariis confundebantur, cuius rei exempla ne desint, adi interpp. ad Eumen. pan. pro restaur. schol. C. VIII, p. 197 ed. Arntzen. Simile exemplum occurrit in Mamertini Genethl. VII, p. 122, ubi codd. nonnulli *ac colentibus Syrium nationibus*, pro quo Schwarzius cum Acidalio, quem et Arntzenius secutus est, *accolentibus* restituit, et recte quidem.

Caput VIII.

Panegyricorum vett. latinorum loci aliquot e coniectura correcti.

De Panegyricorum, quos vocant, veterum indole atque ad pernoscendam et eloquentiae et rerum gestarum populi Romani historiam usu ac praestantia, egregie ac luculente quum a Wyttenbachio, vel si quis alius est editionis Iaegerianae censor, in Bibliothecae criticae parte quinta sit expositum, nemo, puto, eorum a me fieri commendationem exspectabit. Hos, quum ob alias, quibus se ipsi commendant, dotes egregias, tum quod ad illustrandam rerum ab Ammiano traditarum seriem plurimum conferrent, iterata saepius et fere annua lectione diligentissime pertractavi

Hinc mihi larga subnata est emendationum copia, quarum autem plurimas ex instructissima Arntzenii editione, nuper admodum a me empta, vel ab aliis VV. DD., vel ab ipso Arntzenio prolatas et, *ubi* codicum veterum auctoritate comprobarentur, in textum receptas, iam primum video. Nihilo tamen secius restant nonnulla, quae ad veram horum oratorum mentem atque sententiam correxisse videor, quorum quaedam, licet arida nimis sint et tenuia, eruditorum iudicio subiicere lubet, editionis Bipontinae, cuius marginibus animadversiones meas illeveram, textum potissimum secutus.

Mamert. Genethl. Cap. XVIII.

»Iam de perduellibus ultionem, non armis, non exercitu, capitis, sicut hucusque fecistis: iam, inquam, fortunatissimi imperatores, *felicitatem* vincitis *soli*.«

Ita constanter hunc locum exhibent codices Mss., nisi quod in Schwarziano *fortissimi imperatores* exstet, pro *fortunatissimi;* parum recte, quum de felicitate sermo sit. At vero, quamvis vulgata lectio haud prorsus sit respuenda, omnia consideranti mihi legendum potius videtur: *iam, inquam,*

fortunatissimi imperatores, felicitate vincitis sola. Haec tum esset, ut esse debet, horum verborum sententia: „Tanta est, imperatores, felicitas vestra, ut barbarae istae gentes, imperioque tam timendae, nullo vestri dispendio, innoxiae reddantur penitus et debiles, dum se ipsas invicem vincendo conterunt.“ Quamvis nimia sit adulatio, eius rei imperatoribus tribui fructum, cuius non fuerint auctores, omnia tamen huius capitis, quae sequuntur, verba hanc interpretandi et emendandi viam ingredi manifesto iubent, praesertim quum iam inde ab Augusto duces romani discordiam inter Germanorum populos alere studuerint, ut invicem se debilitarent. Plura turpissimae adulationis exempla, in his ipsis panegyricis obvia, indigitavit censor iam memoratus in Biblioth. crit. Wyttenb. P. V, pag. 20 sqq.

Eumen. Grat. act. Cap. VII.

»Vidisti enim, non, ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia, vias faciles, navigera flumina, ipsas oppidorum portas adluentia; sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgi–

cam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta tenebrosa; etiam militaris via *sit* confragosa et alternis montibus ardua atque praeceps, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat.«

Varios variorum in hoc loco emendando conatus si quis nosse velit, Arntzenium adeat, qui quidem ita edidit: *muta, tenebrosa, etiam militaris via sit, ac confragosa, et alternis montibus ardui aditus atque praecipites, ut* cet., quod quamquam aliquam veritatis speciem, Arntzenii interpretatione admissa, prae se ferat, equidem haud probaverim. Multo autem minus C. H. Frotscheri, V. C., coniecturam sat violentam admiserim, ad Quintil. inst. or. lib. X, p. 77 ita legentis: *etiam militares vias ita confragosas et, alternis montibus, ardui aditus* (genitiv.) *atque praecipites, ut — transmittant.* Quum enim, praeter eos, qui *sit ac — transmittant* exhibent, alii vett. *via sit confragosa — transmittat* praebeant, non dubito quin coniectura mea, in quam et Patarolum incidisse nunc video, sit verissima. Ita enim legendum censeo, levi admodum et probabili mutatione: *Etiam militaris via sic confragosa et alternis montibus ardua atque praeceps,*

ut . . . . transmittat. Nam voculas *sic* et *sit*, ne, quae sup. p. 26 de literarum *c* ac *t* confusione monui, repetam, saepissime fuisse mutatas, infinitis exemplis probari potest. Vid. Drakenb. ad Liv. VI, 34. Ita etiam Nazar. Paneg. XXXV, p. 359, ed. Bip. *Sed sic assiduis divini principis monitis temperata est, ut, cum ad nutum eius flexibilis et tenera ducatur, morigeram se praebeat,* quem loquendi modum vel ab ipso Cicerone non esse alienum, ex quovis fere grammatices compendiolo, si opus sit, potest demonstrari. —

Caeterum in capite huius panegyrici octavo locus occurrit admodum memorabilis, in quo Phaedri verba, Lib. II, V, 15 — 17, oratori ante oculos fuisse, admodum est verisimile. Quare, ut iis, qui aut Phaedrum umquam fuisse negent aut contra disputent, ulterius rei disquirendae ansam praebeam, totum locum adscribam. „*Paucissima clarorum instrumenta modulorum per compendia saepius tibi occursura protulimus. Divites nos crederet, qui veritatem studia aestimaret. Sed enim providentiam tuam latere non potuit, quamvis bene dissimulata, paupertas; intellexisti officiosam et honestam inopum vanitatem.* — Magni sane futurum esset momenti, quum ex *alapa*, qua apud Phaedrum in hac ipsa fabula servus officiosus se

manumissum iri speraverat, validissimum, numquam in rerum natura exstitisse Phaedrum nostrum, viri longe me doctiores petierint argumentum, si ex eadem fabula, cum hoc loco comparata, genuinas esse Phaedri fabulas nec ex Perotti aut alius cuiusdam ingeniosa fraude profectas, posset demonstrari. —

Nazarii Pan. Cap. XXI.

»Primam igitur Segusiensium civitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est, quae resistendi pertinacia ita in se imperatoris vim convertit, ut pietatem tamen non alienaverit. Nam quum introitus *vi, manu* quaereretur, cet.«

Magna est dissensio inter interpretes ad h. l., aliis vel *vi* vel *manu* delentibus, aliis denique aut *vi manuque* aut *vi manus* legi debere consentientibus. Cellarius primus *vi, manu* servari posse putavit et significare *vi et manu*, quum et numerus sic rotundius decurreret in periodo. Iaegerus, quod Schonh. et Pulm. legissent *vi manuque,* multa scriptorum adtulit loca, quibus eas voces vel a Cicerone et optimo quovis auctore coniungi osten-

deretur. Arntzenius autem, quum in Guelph. *vi manu* exstare vidisset, hanc lectionem in textum recepit, vulgare esse asyndeton asserens. Cui quamvis refragari nolim, haud scio tamen an sit legendum: *Nam quum introitus vi magna quaereretur,* cet. Simili plane loquendi formula haec coniectura potest defendi ex Ammian. Marcellin. XX, VII, 5: *Deinde datis indutiis diei totius et noctis, ante alterius lucis initium Persarum populus omnis adortus avide vallum, acriterque minans et fremens, ubi ad ipsa moenia confidenter accessit, dimicabat vi magna resistentibus oppidanis.* — Caeterum in eodem hoc panegyrico, Cap. II, pro *disseparata* legendum esse conieceram et multis locis confirmaveram *disparata*, quam vocem iam ab Arntzenio in textum relatam video, cuius lectionis veritas ut penitus stabiliatur, loca aliquot adducam probantia, ab Arntzenio praetermissa; Amm. Marcell. XIV, VIII, 4; XV, XI, 18; XX, IV, 13; XXI, IX, 6; XXII, VIII, 20; XVI, 10; XXIII, VI, 56; XXV, VII, 8, cet.

Id. ibid. Cap. XXIII.

»His disciplina pugnandi est, cum »aciem arietaverint, *servent* impres»sionis tenorem et, immunes vulne-

»rum, quidquid oppositum, sine hae-
»sitatione perrumpant.«

Bene quidem ferri h. l. potest *servent*, quoniam quidem post verba vel imperandi, vel suadendi, vel etiam post ea, quae necessitatem aliquam exprimunt vel institutum, quibus h. l. »*disciplina est pugnanda*« quam proxime accedit, coniunctio *ut* potest omitti. Nihilo tamen minus, ut periodus plenior sit et rotundior, equidem reponere malim: *arietaverint, ut servent impressionis terrorem.* Facillime enim coniunctio *ut* a praecedenti *nt* poterat absorberi, cuius rei plura in ipso huius libelli limine protuli exempla, quibus sexcenta alia potuissent addi.

Latin. Pacat. Paneg. Cap. XLIII.

»Habet vires, habet nescio quos
»internos mens scelerata carnifices,
»aut ipsa sibi carnifex conscientia
»est; aut, quod magis credo, omni
»severius quaestione est, a te inter-
»rogari.«

Nihil huc facere *vires* iam Acidalius vidit, infeliciter, si quis alius, *habet mens, habet* cet. pro-

ponens, ut *mens* repeteretur, quod esset elegantissimum. In quo vero haec elegantia consistat, haud facile quis perspexerit. Mire discrepant codices, quorum alii *habent utres* vel *veres*, alii *hic vero* vel *habet vero* offerunt. Arntzenius, et cum eo Iaegerus, *habet vero, habet*, recepit, quod alias quidem lectiones et coniecturas facile superat, nec vero sententiae vim, asseverante licet Arntzenio, multo acriorem reddit vel elegantiorem. Legi enim, ut omnia quadrent, debere opinor: *Habet diras, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices* cet. Quae emendatio, quam vera sit, ex praecedenti huius ipsius panegyrici capite potest probari. Ita enim ibi Pacatus: *Nisi vero tu tuum, venerabilis Gratiane, carnificem diris comitatus ultricibus obsidebas, et irata minax umbra ob os eius oculosque fumantes infernis ignibus taedas, et crepitantia torto angue quatiebas.* Ita etiam Cic. de legg. I, XIV, *ut eos agitent furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu.* Add. id. or. pro S. Rosc. Am. C. XXIV.

HAMMONE,
EX OFFICINA SCHULZIANA,
Kal. Oct. MDCCCXXVIII.